

A blue-toned illustration of two silhouetted figures, an adult and a child, looking up at a starry sky. A bright light source at the top center emits a dense field of rays that fill the upper portion of the frame. The figures are positioned in the lower left, their forms dark against the lighter, starry background.

FABULA DE QUARTO MAGO

FABULA DE QUARTO MAGO

scripta

ab Henry Van Dyke

de Anglico sermone in Latinum versa

a Bernice L. Fox

Monmouthiensi Collegio

tabulae pictae

ab Walter Walker

libellus typis expressus

ab Wagoner Printing Company

Galesburg, Illinois

MCMLXXVI

Latin translation © 1976 by Bernice L. Fox. All rights reserved. THE STORY OF THE OTHER WISE MAN, written in English by Henry Van Dyke, used by permission of Fleming H. Revell Company, Old Tappan, New Jersey.

Quaedam partes narrationis praetermissae sunt. Item sermones aliquanto breviores facti sunt. Nihil autem sensui toti necessarium deletum est. Omnes libri conversione afficiuntur. Laboravi tamen ad voluntatem huius fabulae sententiamque eius conservandam.



Hunc libellum dono
Susan Gearhart,
discipulae meae,
quae mecum operata est
in hoc libello componendo

Etiam
magnas gratias ago
multis amicis
sine auxilio quorum
hic libellus esset parum limatus

PRAEFATIO

Fabulam de tribus Magis scis qui Bethlehem venerunt ut Regi in praesepe iacenti dona offerrent. Num fabulam autem de quarto Mago audivisti qui etiam stellam orientem vidit et ad sequendam eam profectus est atqui cum fratribus suis coram infante Iesu non pervenit? De huius studio, impleto etsi denegato, de huius errationibus multis et animi miseriis, de huius quaestione diuturna et exsecutione mira—hanc fabulam narrare volo sicut fragmenta eius in aula somniorum audiui.

PORTENTUM CAELESTE



Cum Caesar Augustus in multos reges dominaretur et Hierosolymis Herodes regnaret, Ecbatanis, urbe Persica, habitabat quidam Medus cui nomen erat Artabanus. Cuius domum prope moenia urbis extima sitam circumstetit hortus, densus floribus pomisque et irriguus multis rivis ab clivis montis Orontis defluentibus et plurimis avibus canorus.

Attamen in lenibus odoratisque tenebris huius noctis Septembris color omnis palluerat et, sonito undarum excepto, sonus omnis afuit.

Super arbores lumen languidum venit per fenestras velatas diaetae superioris, in qua dominus colloquium cum amicis suis habiturus erat. Hic vir procerus fuscusque et annos natus fere quadraginta ad ianuam stabat ut amicos suos salutaret. Ei oculi prope sese positi sub fronte lato micaverunt

et rugae circum labra gracilia incisae sunt. Os philosophi et militis frontem habuit. Erat homo tener in sentiendo et in perficiendo tenax, unus ex eis qui quovis tempore vitam suam in luctando quaerendoque acturi sint.

“Salve,” aiebat suavi cum voce ut singuli inierunt. “Pax tecum.”

Novem sectatores Zoroastris, sumptuose vestiti, in conclavi extremo consederunt circum aram parvam nigramque in qua flamma flagrabat. Artabanus, prope aram stans, virgis pineis oleaginisque ignem aluit. Denique cantum Yasnae veterem incohavit, et mox voces sociorum in carmine Ahurae-Mazdae dulci commixtae sunt.

Carmine finito, Artabanus ad amicos versus dixit, “Arcessiti a me, hac nocte venistis ad fidem in Deum castum renovandam velut hic ignis in ara

restitutus est. Signum Dei electum ignis est propterea quod rerum omnium ignis purissimus est et nobis loquitur de eo qui lux est et veritas. Animis attentis audite me locuturum de lumine novo veritateque quae ad me ex indicio antiquissimo venerunt.

“Res naturae arcanas et vires aquae et ignis et herbarum salutare una scrutati sumus. Praeterea libros vatum lectitavimus in quibus futura in verbis ambiguis praedicuntur. Doctrina optima autem est notitia stellarum. Si cursus stellarum ab hominibus comperiat, ab principio usque ad finem occultissimae res vitae detegantur. Sed de his cognitio nostra est imperfectior. Nonne sunt ultra conspectum oculorum nostrorum multae stellae quae videntur tantum ab illis qui habitant in terris longinquis?”

“Stellae,” inquit Tigranes, “sunt cogitata divum; sunt infinitae. Atqui cogitata hominum, paria vitae eorum, finita sunt. Sapientia Magorum est in orbe terrarum maxima propterea quod inopiam suam intellegunt. Hic est fons potentiae nostrae. Homines ortum solis novum semper quaerunt expectantque. Obscuritatem tamen aequare lucem et certationem habere finem nullum ipsi scimus.”

Respondit Artabanus, “Si expectationem esse sempiternam necesse est, si expleri numquam poterit, in quaerendo sapientes non sumus. Atqui nimirum ortus solis novus hora destinata dilucescet. Nonne libri nostri haec futura esse et homines fulgorem luminis magni visuros esse docent? Religio sine spe similis est arae sine igne vivo. Alia verba ex fonte Veritatis de natu

Victoris luce huius arae legi. Balaam, vates Iudaeae senex, stellam ex Iacobo venturam esse et sceptrum ex Israele orturum esse scripsit. Praeterea Daniel Hebraeus, fatidicus interpresque mentis divinae, scripsit: 'Ab exitu sermonis ut iterum Hierosolyma aedificentur, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt.'¹ Sententia horum numerorum mysticorum aenigma erat, sed mihi et tribus sociis revelata est. Tabulas Chaldaeorum antiquas perscrutati sumus et tempus supputavimus. Hoc anno fiet.

“Caelum exquisivimus et vere duas stellas clarissimas vidimus adiunctas in signo Piscis, quod est domus Hebraeorum Chaldaica. Stellam novam in eodem loco quoque vidimus, quae unam noctem se ostendit et exim evanuit.

Haec duo sidera iam iterum reconveniunt. Hac nocte est coniunctio eorum. Tres fratres mei ad fanum Septem Sphaerarum vetustum Borsippae in Babylonia speculantur dum hic ego observo. Si stella rursus lucebit, decem dies in templo me exspectabunt. Exinde Hierosolyma una proficiscemur ut infantem videamus et adoremus qui Rex Israelis nascatur. Signum venturum esse credo. Domu et rebus venditis, iter comparavi et tres gemmas emi, sapphirum et carbunculum et margaritam, dona Regi. Rogo ut me comitemini ad laetitiam communicandam postquam princeps dignus cultu reperiatur.”

Tum tres gemmas magnas ex balteo extraxit. Prima erat tam caerulea quam fragmentum poli nocturni, secunda rubrior luce Aurorae, tertia tam pura quam nix in cacumine iacens primis tenebris.

Dum loquitur, amici eius mirati inter sese susurrebant, et ei inhiaverunt velut si homo amens esset. Alius aliam excusationem obtulit. Nemo cum eo ad Regem inveniendum ire voluit. Singuli abierunt. Sed Abgarus, qui erat maximus natus et Artabanum maxime diligebat, dixit, “Mi fili, si in hoc signo quod in caelo apparuit lux veritatis est, ad Principem et candorem magnum certe ducet. Sin autem id est modo species lucis, ille qui eam sequatur nihil nisi peregrinationem longam habebit et frustra anquiret. Sed sequi vel simulacrum rei optimae oportet. Qui mirabilia videre vult, illi soli anquirendum est. Huic itineri senior sum, sed meum cor tecum erit.” Exim hic etiam discessit.

Gemmis in balteo repositis, Artabanus ignem in ara minuentem

spectavit. Denique foras exiit et caelum nocturnum contemplatus est. Iuppiter Saturnusque, similes duabus flammis conventuris, ad sese appropinquabant. Artabano aspicienti scintilla ex tenebris nata infra eas apex fulgoris purpurei et albi facta est, quasi gemmae Artabani in cor lucis vivum mutatae essent.

“Hoc est signum,” inquit. “Rex venit, et ibo ut ei obvius fiam.”

spectavit. Denique foras exiit et caelum nocturnum contemplatus est. Iuppiter Saturnusque, similes duabus flammis conventuris, ad sese appropinquabant. Artabano aspicienti scintilla ex tenebris nata infra eas apex fulgoris purpurei et albi facta est, quasi gemmae Artabani in cor lucis vivum mutatae essent.

“Hoc est signum,” inquit. “Rex venit, et ibo ut ei obvius fiam.”

APUD AQUAS BABYLONIAS



Noctem totam Vasda, equus Artabani velocissimus, in stabulo strata infrenataque exspectaverat. Prompta solum pedibus pulsabat et frena quassabat. Consilio domini sui studere visa est, etiamsi sententiam eius nescivit.

Priusquam aves experrectae erant et nebula alba quae texit campos planos surrexerat, quartus Magus, equo consenso, in occasum travehebatur in via quae circum imum Montem Orontem locata est.

Quam familiaris, quam intima est sodalitas inter virum et equum iter diuturnum facientes. Est amicitia tacita et plena; verbis nullis opus est. Ex eisdem fontibus bibunt. Pax vesperi et gaudium primae lucis inter sese consociant. Dominus cenam suam cum comite avido gratoque partitur.

Etiam in eundo studium commune habent—spatium vincere, ad calcem itineris pervenire.

Artabano prudenter procedendum erat si hora constituta aliis Magis occursurus erat, quia quinquaginta et centum stadia supererant et non plus quam quindecim in dies singulos ire poterat. Vires quidem equi sui scivit; itaque haud sollicitus spatium praestitutum cotidie procedebat. Proficisci ante Auroram et sera nocte viam persequi semper necesse erat. Acclivitates Montis Orontis fulvas et rugatas cursibus centum annium scopulosis praetervectus est. Campos Nisaeae planos transivit, in quibus greges equorum noti in pratis latis pascebantur. Vasda accedente, capita sua concusserunt et in fugam se contulerunt. Atque subito ex pratis paludosis

aves gregatim surrexerunt, cum trepidatione plurimarum alarum et acuto cum clamore.

Cum advenisset Baghistanem, inter hortos lautissimos et irriguos fontibus e saxo effluentibus sitam, ad montem trudentem super viam rupes ingentes praeruptasque oculos suos erexit et contemplatus est faciem Regis Darii truculentam et titulum bellorum victoriarumque eius in cautibus aeternis incisum.

Per fauces gelidas et vastas, trans umeros collium vento pulsos repsit. Per angustias montium multas et nigras descendit ubi flumen tamquam dux saevus ante eum fremuit ruitque. Trans valles apricas, per querceta Carinae et portas Zagri rupibus conclusas iit. Chalam, in qua urbe populus

Samareus in captivitate iamdudum retentus erat, et ex hac urbe cessit. Hic effigiem antistitis religionis suae vidit, quae manum sustulit velut si omnibus peregrinatoribus aeterne benediceret. Trans agros oryzae latos, in quibus halitus autumnii suas mephites exitiales extenderunt; praeter Ctesiphontem, in qua urbe tyranni Parthiani regnabant, et praeter Seleuciam, ab Alexandro conditam; trans undas Tigris verticosas et meatus Euphratis multos flavosque—Artabanus usque ad muros Babylonis celebris instabat, ad quem locum sub noctem decimi diei advenit.

Impetus Vasdae paene absumptus est et Artabanus in illam urbem ingredi voluit ut ipse et equus quietem cibumque caperent, sed iter trium horarum ad fanum Septem Sphaerarum etiam supererat. Necesse erat se

tangere illum locum ante mediam noctem si socios suos inventurus erat. Non igitur constitit, sed trans agros sine mora transvectus est.

Lucus palmarum in mari segetis aureo erat insula noctis. Vasda in tenebras iniens gradum suum minuit et viam maiore cura elegit. Prope tenebras extremas timiditate superari visa est, quasi aliquid periculi aut difficultatis odorata esset. Fugere non in animo erat, modo caute procedere, ut equo bono decet. Lucus erat tam clausus et silens quam sepulcrum. Folium nullum crepitavit; avis nulla cantavit. Vasda, ferens caput demissum et metu interdum suspirans, magna cum cura processit. Postremo cum pavore rigida ante aliquid obscurum quod erat in umbra palmae ultimae, toto corpore tremente, gradum stitit.

Artabanus desiluit. Lux stellarum languida formam hominis in media via iacentem aperuit. Cuius vestis vilis et vultus macie confectus certe firmaverunt eum esse unum ex istis exsulibus Hebraeis quorum plerique per haec loca adhuc habitarent. Cutis pallida indicium febris mortiferae tulit. Mors frigida aderat in manu macra et, brachium eius cum Artabanus dimisisset, ad pectus immotum segniter relapsum est.

Cum corpus eius vulturibus bestiisque mandaturus et se cum miseratione aversurus esset, digiti hominis fulvi osseique, quasi spasmo vexati, amictum Magi imum rapuerunt. Cor Artabani saluit, non metu sed ira propter hanc moram. Qua ratione hoc fragmentum hominis ignoti miserationem auxiliumque ab eo petebat? Si unam horam moretur, tempore constituto

Borsippam advenire vix possit. Comites sine eo ituri sint, et quaestionem ipse amissurus sit. Sin maneat, homo qui alioqui certe moriatur fortasse reficiatur.

“Numen cui veritas castitasque sint curae,” oravit, “me ducas.”

Exinde ad virum aegrum reversus est. Eum ad tumulum qui erat sub palma portavit. Aqua ex fossa finitima allata, medicamentum simplex sed potens commiscuit ex illis quae in cingulo portabat, nam Magi erant non modo astrologi sed etiam medici. Diu laboravit. Postremo vir se sustulit et circumspexit.

“Quis es?” rogavit. “Et cur mihi prodes?”

“Sum Artabanus Magus ex urbe Ecbatanis et Hierosolyma vado ut

quendam infantem quaeram qui rex Iudaeorum sit, princeps magnus et liberator hominum omnium. Diutius mihi non manendum est ne comitatus meus sine me proficiscatur. Ecce, omnes reliquias panis mei vinique et aliquid medicamenti tibi dono.”

Iudaeus ad caelum manum trementem sustulit et fatus est: “Deus quem Abrahamus et Isaacus et Iacobus adorabant iter huic misericordiae secundet et ad votum eum ferat. Nihil nisi hoc habeo quo debitum solvere possim: scio quo in loco Salvator quaerendus sit. Nam non Hierosolymis sed Bethlehem eum nasciturum esse vates nostri nuntiaverunt. Quod aegri miseritus es, illuc Dominus te incolumem ducat.”

Media nox iamdudum praeterita erat. Quam celerrime Artabanus

progressus est, et Vasda, quiete brevi refecta, per campos silentes cucurrit et flumina natavit. Sed cum ad templum Septem Sphaerarum pervenirent Aurora orta erat. Artabanus ex equo descendit. Amicis non visis, ad summum tumultum ascendit et circumspexit. Ubique campi patuerunt. Animalia vagabantur. Vestigia tamen amicorum nulla vidit. Sed in tumulto extremo invenit membranulam sub cumulo laterum fractorum positam. Ea sublecta, legit: “Ultra mediam noctem opperti sumus. Diutius morari non possumus. Ad Regem inveniendum procedimus. Nos sequere trans deserta.”

Artabanus humi resedit et cum desperatione caput textit.

“Quo modo deserta transire possum,” inquit, “sine cibo et cum equo

defesso? Babylonem mihi redeundum est ad sapphirum vendendum ut aliquot camelorum et aliquid cibi emam. Fortasse amicos meos numquam consequar. Solus Deus misericors scit num propter misericordiam visum Regis amissurus sim.”

PUERI PARVI GRATIA



In aula somniorum qua fabulam quarti Magi audiebam, silentium erat, et in hoc silentio illum per undas solitudinis quasi navem in mari euntem perobscure vidi. Terra mortis retia saeva circum eum tetendit. Vastitas saxosa nihil frugum nisi vepres tulit. Cautes obscurae ceu ossa beluarum defunctarum passim eminuerunt. Moles harenae sepulcra visae sunt. Interdiu calor ferri vix potuit, et nocte frigus mordens terrae incubuit. Sed per calorem frigusque Magus procedebat. Et denique amoenas valles Iudaeas transiit usque ad Bethlehem. Tertio die post adventum trium Magorum pervectus est.

Quartus Magus fessus erat, spes eius tamen adhuc erat magna quod, etiamsi solus tardusque, carbunculum margaritamque dona Regi ferebat.

Hic erat locus, ut exsul Hebraeus dixerat, de quo vates locuti erant, sed ad quam casam sibi eundum esset nescivit.

Viae oppidi relictæ visæ sunt. Atqui per ianuam casae opertam vox feminae leniter canentis audiri potuit. Casa intrata, materculam et infantem invenit. Haec ei narravit de tribus hospitibus Orientalibus qui dixerant stellam eos duxisse quem ad locum Iosephus Nazarus cum uxore infanteque deverteretur. Hi Magi, ut dixit, puerum venerati, dona pretii magni multa ei dederant. Tum quantum celeriter venerant tantum celeriter excesserant. Etiam Nazarus cum uxore infanteque clam fugerat. Fama erat eos usque ad Aegyptum ituros fuisse. Exinde aliquid mali pago impendebat. Viri igitur inter colles procul greges egerant et latuerant quia rumor erat milites

Romanos venturos esse ad stipendia nova capienda.

Dum Artabanus huic auscultat, puer in sinu matris iacens faciem Magi intuitus est et manus roseae ad orbem qui in pectore gessit portenta sunt. Puer post eius iter diuturnum in quo nihil nisi solitudinem et incerta et metus habuerat Artabano amorem fidemque praebere visus est.

“Utinam hic esset Puer Sanctus,” Artabanus secum ratus est. “Sed nullo modo. Ad Regem quaerendum in Aegyptum mihi pergendum est.”

Mater infantem in cunis posuit ut hospiti cibum pararet. Erat esca mediocris rusticaque, sed libenter data est. Itaque et corpus et animum refecit. Dum Artabanus cenat, puer iit dormitum, et pax magna conclave complevit.

Inde in viis oppidi subito ortus est strepitus — ululatus femineus quiritatusque, clangor aerum, crepitus gladiatorum, ploratus desperatus: “Milites! Milites Herodis! Infantes nostros trucidant!”

Os matris terrore palluit. Infantem in sinu complexa, in parte conclavis obscurissima subsedit, et veste sua eum texit ne experrectus vagiret.

Artabanus interea ianuae propere obstitit. Eius umeri lati ostium utrimque impleverunt et apex pillei albi limen paene tetigit.

Cum manibus cruentis et gladiis manantibus, milites per viam festinabant. Hospite nobili viso, cum miratione haesiverunt. Dux processit ut eum repelleret, sed Artabanus non movit. Facies eius erat tranquilla quasi stellas spectaret, et cum quo fulgore ferae tardentur oculi radiabant.

Breve spatium tacitus militem spectavit. Tum voce summissa dixit, “In hoc loco solus sum, et duci prudenti qui me vivere in pace patiatur hanc gemmam dabo.”

Carbunculum in manu micantem ceu guttam sanguinis magnam ostendit. Splendore gemmae dux obstipuit. Pupulae oculorum cupiditate creverunt et circum labra rugae durae apparuerunt. Ad carbunculum capiendum manum extendit.

“Praetergredimini,” militibus clamavit. “Hic nil infantis. Domus silet.”

Ut turba venatorum perfugium cervae tremulae praeterit, sic clamor clangorque armorum domum praeterierunt.

Artabanus in casam rediit. Os ad Orientem versus, precatus est:

“Numen qui veritati praesit, peccato meo veniam da. Infantis servandi causa id quod non est verum dixi. Et duo ex donis meis largitus sum. Quae Deo destinata erant pro hominibus consumpsi. Umquamne dignus ero qui faciem Regis videam?”

Sed mulier, cum gaudio lacrimans in tenebris, voce miti fata est: “Quia vitam pueruli mei conservavisti, benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem.”²

VIA DOLORIS



In aula somniorum iterum erat silentium et annos Artabani procedere sensi. Aspectus rari et obscuri se ostenderunt. Eum in Aegypto vidi in vulgo moventem ubi vestigia obtusa eorum qui venerant ex oppido Bethlehem sequebatur. Semel eum vidi stantem sub pyramidibus, quae sunt hominibus monumenta gloriae mortalis et immortalis spei aeterna. Ad vultum Sphingis immensum oculos erexit, conans legere sententiam oculorum placidorum et ridentis oris. Deridebantne omnem conatum, ut Tigranes dixerat? Illudebantne aenigmatibus quae explicare non possunt et quaestionibus quae solvi non possunt? At in hac facie ambigua forsitan esset aliquid miserationis speique. Promisitne etiam afflictos victoriam consecuturos esse, indoctos sapientes futuros esse, caecos visuros esse, eos qui errarent

in portum postremo venturos esse?

Alio tempore in casa Alexandriae eum vidi consulentem magistrum Hebraeum. Hic vir sanctus, volumina perscrutans in quibus praedicta Israelis scripta erant, verba flebilis recitavit quae cruciatum domini promissi praenuntiaverunt. Ille dolorosus tristisque futurus erat. Eum homines spreturi et repudiaturi erant.

“Huius esto memor, mi fili,” inquit magister, Artabanum adspiciens oculis rectis, “Rex quem quaeras neque in regia neque apud opulentes potentesque invenietur. Progenies Abrahamis magnificentiam Salomoniam numquam aemulabitur. Sed lux quam mundus exspectet est gloria nova et superior et praeclara ex patientia. Regnum amore aeterno condetur. Nescio

quomodo hoc fiat neque quem ad modum regibus turbidis populisque persuaderi possit ut eum Dominum agnoscant et erga eum fidelitatem iurent. Hoc tamen scio: quisquis eum quaeret recte faciet si inter pauperos humilesque, et luctu afflictos oppressosque percontabitur.”

Postea quartum Magum huc atque illuc procedentem vidi—ad loca fame tabida, ad urbes morbo obsessas, ad carceres subterraneos et fora ubi mancipia venum proponebantur. Neminem dignum adorari sed multos dignos iuvari inveniebat. Nudis vestes, esurientibus cibum dabat; aegris medebatur et captivos consolabatur. Itaque celerius quam radius in tela movet anni praeterierunt.

Quaestionis oblitus esse paene visus est. Sed semel momentum temporis,

sole oriente, eum solum extra portam carceris Romani stantem vidi. Reliquam gemmam ex balteo extraxerat. Dum eam spectat, mitiore cum luce margarita fulsit et nonnumquam fulgores roseos caeruleosque emittere visa est, quasi colores sapphiri et carbunculi concepisset. Eodem modo homines honesti memoriam gaudiorum et dolorum praeteritorum in se tenent; arte subtili commiscent omnia quae sibi succurrerunt et omnia quae sibi impedimento fuerunt.

Mox, dum hanc margaritam et significationem eius meditor, finem fabulae de quarto Mago audiui.

MARGARITA PRETII MAGNI



Ex quo tempore profectus erat, tres et triginta anni in vita Artabani iam praeterierant et adhuc erat peregrinator, petens lucem. Comae eius, olim nigriores quam cautes Zagri, nunc erant tam candidae quam nix quae in summis eis iacet. Oculi eius, qui olim micabant similes igni, nunc ceu cineres perusti nitore carebant.

Defessus et moriturus sed pertinax in Rege quaerendo, Hierosolyma extremo rediit. Ad urbem sanctam saepe ventitaverat et per angiportus et casas squalidas et carceres obscuros quaesiverat, sed nulla vestigia certa familiae quae Bethlehem iamdudum effugerat detecta erant. Nunc, ut visum est, conatus ultimus sibi faciendus erat, et in corde sensit se successum fortasse habiturum esse.

Erat tempus Paschae et urbs hospitibus erat celebris. Israelitae ex locis in orbe terrarum diversis ad delubra propter epulum magnum revenerant. Multos dies in viis artis fuerat confusio linguarum.

Hodie tamen commotio nova in multitudine sensa est. Caelum caligine infausta tectum est, et perturbatio sicut horror qui in silva sub tempestate est in vulgo emicare visa est. Quaedam vis inexplicabilis omnes eodem cursu egit. Strepitus solearum atque summissus sonus pedum nudorum sine intermissione auditus est per lapides viae quae ad portam Damascam tetendit.

Artabanus, quibusdam patriae suae superveniens, rogavit quid esset causa.

“Imus,” responderunt, “ad locum Golgotha qui est extra moenia urbis in quo loco supplicium capitis fiet. Nonne audivisti quid factum sit? Duo latrones noti cruce perituri sunt et cum eis alius, Iesus Nazarus, qui multa inter vulgum tam egregia effecit ut eum maxime diligant. Sed sacerdotes presbyterique ei moriendum esse decreverunt, quia se filium Dei esse affirmabat. Quem Pilatus ad crucem misit quod se esse regem Iudaeorum dictitabat.”

Quam mire haec verba ad Artabanum, fessum corde, pervenerunt. Aetatem totam trans terras mariaque eum duxerant. Sed nunc absurda et quasi spe destituta visa sunt. Rex natus erat, sed spretus et eiectus erat. Periturus erat. Fortasse iam moriebatur. Eratne qui abhinc tres et triginta

annis Bethlehem natus esset? Eratne cuius natu stella in caelo se ostendisset, et cuius adventum vates praedixissent?

Cor Artabani tremulum impletum est illo metu incerto qui sit concitatio senectutis. Secum ait, “Rationes Dei sunt obscuriores quam cogitationes hominum. Forsitan Regem in manibus hostium postremo inveniam, et ad tempus fortasse perveniam ut Regis redimendi causa ante mortem eius margaritam profitear.”

Itaque senex multitudinem ad portam Damascam passibus tardis operosisque secutus est. Ante aedificium praesidii milites puellam, habitu scisso et crinibus passis, per viam trahebant. Cum Magus ad eam spectandam cum misericordia substitisset, ex manibus eorum qui eam vexarent se

eripuit et ad pedes eius se proiecit. Pilleum album et orbem alatum quem in veste gessit viderat.

“Mei miserere,” clamavit, “et Dei qui castitatem tueatur gratia, me serva. Sum filia religionis ab Magis doctae. Pater meus erat mercator Parthius, sed mortuus est, et propter aes alienum huius ego rapta ancilla venum ibo. Ex fato peiore quam morte me libera.”

Artabanus tremuit. In animo erat eadem certatio, eadem dubitatio inter spem et clementiam quae ad eum venerat in luco palmarum Babylone et in casa Bethlehem. Semel atque iterum pro homine donum consecratum Deo ex manu extractum erat. Hoc erat discrimen tertium, probatio ultima, iudicium extremum et immutabile. Eratne magna occasio aut illecebra

postrema? Artabanus decernere non poterat. Nihil nisi unum in eius corde turbido erat certum—liberare hanc puellam esset peractio amoris. Nonne est amor quidem lumen animi?

Margaritam ex sinu extraxit. Ea numquam fuerat tam illustris, tam fulgens, tam repleta nitore vivo. In manu virginis eam posuit.

“Haec est redemptio tua, filia. Hac excepta, nulla pars donorum Regi remanet.”

Dum loquitur, tenebrae creverunt et tremores per terram cucurrerunt. Parietes aedificiorum nutaverunt. In viam lapides soluti deciderunt. Aer erat densus nubibus pulvereis. Milites, titubantes quasi ebrii, cum pavore fugerunt. Sed Artabanus puellaque inermes sub pariete Praetorii subsiderunt.

Quid sibi metuendum erat? Quamobrem diutius sibi vivendum erat? Donum ultimum largitus erat, spem Regis inveniendi ultimam amiserat. Quaestio ei male cesserat. Atqui etiam in illa memoria erat pax. Nam in dies, ut scivit, quam optime se gesserat, etiamsi spes vanae factae erant. Vita sua iterum acta, se eadem facturum esse sensit.

Denuo erat tremor terrae parvus. Tegula gravis, de tecto delapsa, tempus senis icit. Pallidus sine spiritu iacuit et ex vulnere cruor manavit. Dum puella ei se demittit, metuens ne mortuus esset, vox tenuis et similis cantui procul per crepusculum advenit. Puella in fenestram suspexit, sed neminem vidit.

Mox senex labra movere incepit, et puella eum haec quasi in responso

dicentem audivit: “Nullo modo, Domine! Quando te vidi esurientem, et
pani te: sitientem, et dedi tibi potum? Quando autem te vidi hospitem, et
collegi te: aut nudum et cooperui te: aut quando te vidi infirmum, aut in
carcere, et veni ad te?”³ Tres et triginta annos te quaero, sed numquam
coram te veni et numquam tibi ministravi, Rex.”

Loqui desivit et rursus puella vocem dulcem haud clare et procul
audivit. Nunc autem verba intellegere visa est: “Amen dico tibi, quamdiu
fecisti uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecisti.”⁴

Laetitia tranquilla sicut prima Aurora cacumen montis tangens in ore
eius luxit. Unum spiritum remissionis longum quiete exhalavit.

Iter finitum est. Dona accepta erant. Quartus Magus Regem reppererat.

Dicta paene ad verbum expressa

ex Divina Scriptura Vulgata:

1. Liber Danielis Prophetæ, ix:25
2. Liber Numeri, vi:24-26
3. Evangelium secundum Mattheum, xxv:37-39
4. Evangelium secundum Mattheum, xxv:40